



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catena Temporum

Andrian, Carl

Herbipoli, 1698

Series X. Jurisprudentia & Medicina

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65485)

*Philosophia, Mathematica, &c. Si
rat, Andronico primo Aristotelis Scholiaste
annitente, revirescit.*

☉ Ab anno 4000. ad 4053. ☉

Marcus Tullius Cicero & M. Terentius
Varro Romanonū ante se omniū doctissimi.

C. Nigidius Figulus, Anaxylides Larys-
fæus Pythagorici & Magicæ artis suspecti.

Andronicus Rhodius * Jason Stoicus *
Theodorus Tripolites Philosophi.

Sosigenes Astronomus, cujus præcipuè
operâ Cæsar Kalendarium instauravit.
M. Vitruvius Pollis Architect: princeps
Dionysius Geographus.



SERIES X.

Jurisprudentia & Medicina post
diluvium usque ad Christum.

☉ Ab an. 1657. ad 2039. ☉

SÆculum sine principibus ac legibus &
Sprocul à bellis aureum à poëtis est ap-
pellatum.

Zundavastavu pervetustum legum Per-
ficarum codicem, qui ab Eusebio *Persicarum
rerum collectio*: Zoroastri à Deo datum,
Hebræorum gloriam æmulantes Persæ
finxerunt.

Medicina inventa est à Tosorthro Ægypti
Rege, quem Æsculapium dixere. Scrip-
siffe

fisse fertur Anatomicos Libros. *Videri pponest Marscha: in Canon. Chronol Sacul. 2.*

☉☉ Ab anno 2039. ad 2300. ☉☉

Prima Lex Abrahamo datur à Deo circumcissionē illi & posteris imperante 2125.

Phoroneus primus in Græcia leges condit. Vagos ac dispersos homines in unum cogit & mænibus sepiit 2247.

Hæc Græci affirmant, sed negat Ioseph in dissert: adversus Apionem, docetq; Græcorum omnes legislatores præ Mose recentes esse.

☉☉ Ab anno 2300. ad 2500 ☉☉

Medicinæ repertorem Apim Ægyptium plurimi agnoscunt.

Cum Apis imagini Symbolum solis inesset hinc Æsculapium suum quem Græci Medicina parentem prædicant, Apollinis filium dixere.

In Iosephi Patriarchæ familia fuisse servos medicos sacræ litteræ testantur. *Genes: 50.*

☉☉ Ab anno 2500. ad 2600. ☉☉

In sina monte leges à Deo acceptæ Hebræis per Mosen datæ.

Eodem prorsus anno 2545. quo Moses Synedrium instituit. Athenis Arcopagus est institutus. *Salianus.*

Mosea

Mosen medicæ artis peritum, ac proinde ob hoc etiam ex eo Æsculapium effectum à Græcis fabularum architectis contendit *Huetius in demonstrat. Evangel.*

☉ Ab anno 2600. ad 2700. ☉

Vetustissimum codicem *Chaster* religionis dogmata complexum per hæc tempora à Deo traditum *Bremavio Patriarchæ Indi* fabulantur. *Huetius.*

Minos *Cretensibus*, *Rhadamantus Lyciis* jura severissima tradunt.

Melampus Argivus Medicus: huic templum erectum & Sacrificia statuta scribit *Pausanias lib. I.*

Libri tamen, qui sub ejus nomine prodierunt supposititij censentur.

☉ Ab anno 2700. ad 2800. ☉

Mercurius Ægyptiorum legislator Cic. de natura Deorum. Lactantius l. c. 6.

Indi à Baccho domiti & mansuetiorum legum cultu imbuti sunt. Arrian de gestis Alexandri.

Acrisius Argivorum Rex Amphyciones, gravissimum Græciæ consilium instituit. Alij tradunt ab *Amphycione Heleni filio* constitutum. Constabat primò ex septem, postea ex decem Græciæ civitatibus *Strabo lib. 8. 9.*

Ab

☉ ☉ Ab anno 2800. ad 2900. ☉ ☉

Atheniensibus à Theseo leges datas, Plutarchus docet in vita ejusdem.

Chiron Medicus Panaceæ inventor & Achillis Præceptor.

Æsculapius Chironis discipulus & apud Græcos Medicorum celeberrimus, qui ab Ægyptio Æsculapio hoc ei nomen fecerūt.

Cicero lib. 3. de nat. Deor. tres Æsculapios agnoscit.

Machaon & Podalirius Æsculapii filii, & artis hæredes, Trojani belli temporibus curandis vulneribus celebres.

☉ ☉ Ab an: 2900. ad 3000. ☉ ☉

Italus Telegoni filius, leges Oenotriis tulit. *Hygin. fab. 127.*

Prodicus Æsculapii discipulus, medicinam instituit, quam Iatra lepticea vocant *Plinius lib. 29. c. 1.*

Iatra leptice Medicina apud veteres erat, qua unguentis & perfrictionibus medebatur corporis morbis, Iatraplita sunt quorum operâ medici in unguendo corpore utebantur.

☉ ☉ Ab anno 3000. ad 3100. ☉ ☉

Celeberrimum Salomonis judicium inter scæminas de filio contendentes.

Salomone Rege medicos floruisse docet ejusdem documentum de honore medicis habendo apud *Ecclesiasticum cap. 38.*

Quin

Quin & ipsum Salomonem medica scrip-
sisse testantur Josephus & alii: ac inter ea
censendi libri de virtutibus plantarum,
quas posteris naturæ scrutator egregius
aperuit.

☉☉ Ab anno 3100 ad 3200. ☉☉

Lycurgus Charilai nepotis tutor inte-
gerrimus, & Spartanorum legislator 3170
ad temperandum solutum Regum imperium
Synedrion 28. Seniorum addidit *Plutarch.*

In Medicorum arte plusquam in ope di-
vina spei posuisse, Asæ Regi meritò vitio
datur. *Paralip 2.*

Atque hinc Medicos hoc ævo magno in
honore fuisse conijcimus.

☉☉ Ab anno 3200 ad 3300. ☉☉

Ephori Spartæ instituti à Theopompo
Rege 3294.

Tales erant Ephori apud Lacedæmonios,
quales apud Romanos Tribuni plebis; ut enim
à Consulibus ad Tribunos, ita à Regibus ad
Ephoros cuiq; provocare licebat.

Medicos magnopere ab Hebræis cultos
Isaiâ vaticinante conjectare licet *ex cap.
& Prophet:*

☉☉ Ab anno 3300. ad 3400. ☉☉

Zeleucus legislator severissimus paulò
post Locros conditos leges eis tulit.

H

Dra

Draco sub initium sæculi sequentis, non tam atramento quàm sanguine jura scribit.

☉☉ Ab anno 3400. ad 3500. ☉☉

Solon abrogatis Draconis legibus commodiores Atheniensibus tulit 3460.

Herophilus Medicus qui Phalaridem tyrannum sanitati restituit, testibus Cicerone Plinio & Plutarcho.

Mirū est quod prodit Mart. Capella lib 3

Herophilus agrorum venas Rhythmorum collatione pensabat.

Herophilus & Herastratus nocentes homines à regibus ex carcere acceptos vivos incidebant. Cels lib. 1. cap. 1.

☉☉ Ab anno 3500. ad 3600. ☉☉

P. Papyrius colligit jus Roman: quod ab eo Papyrianum est appellatum.

Zamolxis Pythagoræ auditor leges dat Getis.

Confucius legislator Sinarum 3562.

Democedes, Acron Agrigentinus Medicinæ Empyricæ parens.

Herodicus Magister Hippocratis.

☉☉ Ab anno 3600. ad 3700. ☉☉

Charondas Thurinis* Archita Tarentinis* Parmenides Eleatibus* Eudoxus Gnidius jura describunt.

Romani Decemviri leges à Græciz civitati-

tatibus acceptas in duodecim tabulis descriptas proponunt; eas exul Hermodorus Ephesius interpretatur.

Hippocrates Medicorum Princeps.

Ctesias Gnidius * Philisthio Sículus * Crito Cosméticae inventor * Menecrates Syracusanus * Eudoxius Gnidius.

☉ ☉ Ab anno 3700. ad 3800. ☉ ☉

Appius Claudius cæcus Juriscōsultissimus; Tiberius Coruncanus primus jus civile Romæ professus est.

Thessalus & Draco filij * Polybus Gener* Dexippus Cous Hippocratis discipulus* Nicias Pyrrhi R. * Philippus Acarnan Alexandri M. Medici.

Eristratus & Cleombrotus, de quo Harduinus in Plin: lib. 29. c. 2.

☉ ☉ Ab anno 3800. ad 3900. ☉ ☉

Sextus Ælius Pætus ab Ennio laudatus, à quo jus Ælianum.

Cato Censorius * M. Cato ejusdem filius, & Scipio Nasica juris peritissimi.

Eratosthenes Cyren. Historicus, philos: Medicus *

Aradeus Cappadox hoc ævo Medicæ artis gloriâ floruit.

Archagatus primus è Græcia Romæ Medicinam proficetur an. 3975, Plin.

88 *Juris Prudentia & Medicina*

☉☉ Ab anno 3900. ad 4000. ☉☉

M: Manilius Q. Mut. Scævola, F. Q. Mut. Scævola Q. Auguris F. * M. Junius Brutus, C. Martius figulus, Gn. Aufidius, C. Antistius Labeo senior, juris oracula.

Nicander Colophonius, Asclepiades Pruseus, qui neglectâ Hippocratis medendi ratione novam condidit.

Mithridates Rex Ponti, cujus Medicos libros Pompejus latinè verti mandavit.

☉☉ Ab an. 4000. ad 4053. ☉☉

Appius Augue * Q. Ælius Tubero * Servius Sulpitius Semonia * L. Attejus capito, * C. Antistius Labeo Junior, Jurisperitorum Principes.

Themison Laodiceus Asclepiadis Magistri sectam mutavit, & aliam inter medicos excitavit.

Craterus * Apollonius Crassi libertus * Philoteus Amphissenus * Dioscorides Herophileus * Artorius Augusti Medicus, *Hunc Vasius cum Antonio confundit.*



SERIES XI.

Historici Sacri ac profani, & literæ Humaniores à diluvio usq; ad Christum natum.

☉☉ Ab anno 1657. ad 2039 ☉☉

Utrum